

patriam suam pergere curavit. Cumque ad patriam suam redisset cum omni gente sua, ad Carli Francorum regis expeditionem celeriter equitare ordinavit. Et cum in ipsius regis castris pervenisset, ingenti letitia ab omnibus est receptus. Qui rex secus¹ montium fines provincie Gallorum et² Yspanie sua posuerat castra. Qui habito consilio principum et virorum nobilium de universa gente sua tres fecit exercitus. In primo namque exercitu constituit viginti milia armatorum et cum pugnatoribus viris nobilibus et magne audacie, in armis bellicis potentissimis, qui virtute et prudentia omnes alios precellebant; qui exercitus cum ipsis pugnatoribus per viam rectam, per montium³ ascensum in summitate montium ascenderent et fortitudines montium omnes occuparent. Cuius exercitus

*f. 53^a. archiepiscopum *Trepinum dominum et rectorem ordinavit. In alio vero exercitu constituit quadraginta milia virorum bellicorum, qui per vallem Tortoream in cacumine montium montarent. Cuius exercitus dominum et gubernatorem dictum Papium disposuit. In tertio quidem exercitu constituit similiter quadraginta milia virorum armatorum, quos ipse rex sub eius dominio tenuit; qui per viam rectam montarent, ut velociter in succursum christianorum accedere possent. Dictus autem archiepiscopus summitates montium cum suo exercitu occupavit. Erat enim in illo exercitu vir quidam nobilis, in regis curia potentissimus, nomine Gainus⁴, proditor perfidus et iniquus, qui propter nequitiam et invidiam cepit cogitare, qualiter christianorum gentem in Saracenorum manibus posset plenarie prestare. Scilenti autem nocte quendam nuntium fidelem Marsilio Saracenorum regi direxit, ut ad loquendum cum eo loco secreto venire deberet. Qui cum ad ipsum locum ambo accederent, idem Gainus suasit regem⁵, ut cum omni gente sua versus christianorum exercitum appropinquare deberet, affirmando et iurando exercitum regis Carli in Ustinavalia esse et usque ad quatuor dies succursum minime prestare posse. Rex vero Marsilius loca, castra et civitates, quas in regno suo vellet, ei esse daturum promisit. Quo ita facto et ordinato quilibet ad castra rediit. Altera autem die summo

*f. 53^b. mane prospicientes *christiani viderunt innumerabilem multitudinem Saracenorum versus eos per vallem Tenebrosam venire. Qui summitatibus montium et fortitudinibus relictis in Roncivallia se coadunaverunt, que dicitur vallis Ronchorum, quia runchi⁶ nuper erant facti. Videntes vero christiani Saracenos venientes et magis atque magis appropinquantes, dictus archi-

1) 'secutus' Hs. 2) Fehlt Hs. 3) 'nū||tios' Hs. 4) Er erinnert schon durch seinen Namen an den Verräther Ganelun der Sage. 5) Vgl. oben S. 276, N. 2. 6) Wohl Dornesträuch. Vgl. Ducange-Henschel s. v. runcus.